Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 765
Quelle:
Copyright:

Obſtruet ora canum circumlatrantia Calvum?
Candiduli Calvi, concurrite, ferte juvamen,
Tuque decus ſummum, Calvorum gloria, Calve!
Noſtra ad vota fave, perque omnia proſpera ſalve,
Perſpice prudenti perluſtrans pectore parva
Munera Muſarum miris modulata melodis.
En tibi centenos, terdenos, bis quoque ternos, (ergo 136.)
Quae centum ſignat, quae Calvis nomina praeſtat,
Quae frontes pingit confingens cornua lunae, (Supercilia)
Quae theatrum format, comprendit litera verſus
Non modo principia his, ſed ſingula verba regyrans.
En corvus crocitans te, Princeps magne, ſalutat,
Nec tamen effundit querulas pro munere voces,
Impenſas neque cauſſatur periiſſe laboris;
Nec volo me, carmen ſtudui qui cudere laudes (laudis?)
Calvorum, quisquam privatum munere dicat,
Cenſeat, aut credat. Sunt nam mihi praemia quaeſtus
Maxima, noſſe Virum cunctis per cuncta verendum,
Et quia me tantus dignatur noſcere Praeſul,
Quem, peto, Rex Regum, cum ſederit arbiter orbis,
Inter Pontifices faciat reſidere beatos
Aetherei tribuens illi conſortia regni.
Sic ſit Amen! Chorus hoc Calvorum praeſtat omnis. (poſtulat?)

Hugbaldi noſtri *Elnonenſis ad S. Amandum* in *Hannonia* Monachi Scripta enumerat *Fabricius* in *Bibl. med. Lat.* nec tamen aut ille, aut eorum aliquis, qui *Carmen* ejus *de Calvis* edidere, puta *Baſileae* 1516. 1546. 1550. *Lovanii* 1546. *Caſp. Dornavius* in *Amphith. Sapientiae Socrat.* T. I. *Caſp. Barthius Adverſarior.* L. XLVI. notitiam *Invocationis*, quam hic evulgo, habuere. Directa eſt illa ad *Hattonem* Praeſulem *Moguntinum* ejus nominis certe primum, qui a. 912. deceſſit, *Hugbaldo* vitam ad a. 930. porrigente. Atque vel ex hoc utriusque aevo ſuſpicari quis poſſet, infirmo niti talo, quod poſt *Sigebertum Gemblac.* c. 107. omnes adoptaverunt, *Hugbaldum* Carmen ſuum *de Calvis Carolo Calvo* Imp. inſcripſiſſe. Praeterquam enim, quod *Carolus* jam a. 877. adeoque 53. annis ante *Hugbaldum* defunctus eſt, eoque defuncto *Hatto* demum ad ſedem *Moguntinam* pervenit, neque in ipſo Poematio, neque in adducta *Invocatione* quidpiam legitur, quod liquido demonſtret, *Carolum* peti. Nam illa Invocationis: *Calvorum gloria, Calve!* item: *Princeps magne!* quid vetat de *Hattone* Archiep. intelligi, de quo adfirmat *Ekkehardus de Caſib. Monaſt. S. Galli* c. 1. eum cum *Salomone* Ep. *Conſtant.* poſt Regem (*Ludovicum* IV.) imperium tenuiſſe,